


D I A L O G I.



DIALOGUS I.

Philopon.

Neophilus.

Philopon.

*M*eibnizium igitur, si recte sermonem tuum intelligo, Harmoniae praestabilitae autorem esse non existimas?

Neophilus.

Non video sane, quanam istud ratione e sermone meo inferre velis.

Philopon.

Quidni? manifeste isthoc se ipso consequitur. Nonne dixeras, *Leibnizium* hanc hypothesisi acceptasse, inque suum transtulisse sistema?

Neop-

Neophilus.

Nae Tu mihi fidus nimium fueris
verborum interpres! Dabis id facili lin-
guae, quod mentem praecurrerit; neque
est, cur coepio potius non insistamus
colloquio.

Philopon.

Minime illud equidem, Amicorum
carissime! ut tam facili tu me negotio
eluseris. Neque primum hoc fuerit, ut
per exiguae idmodi sermonis tui praeci-
pitantias novi quidpiam edoctus sim.
Nunc mihi firmior tenearis, oportet, si
tua percipere sensa velim, quae mihi ex
proposito nunquam forsitan fueras dete-
cturus.

Neophilus.

Praeter modum pergis tu mihi insi-
stere. Probe video, cum ingenii tantae
aciei, quanta tuum est, perquam caute-
actum oportere. Vox unica omnem pro-
dit

dit sententiam nostram. Esto igitur: non diffiteor; primum harmoniae praestabilitae autorem non existimo fuisse *Leibnizium*; quanquam nec illud ignorem, neminem ullum adhuc isthanc ei contraversisse gloriam, ipsumque adeo *Bayleum* eidem de magno hoc invento, universi eruditii orbis nomine, fuisse gratulatum.

Philopon.

Ego autem omnium Leibnizianorum nomine hujus asserti tui abs te postulo demonstrationem.

Neophilus.

Haec mihi praesto est; utut ea me hodie opus habiturum non crediderim. Verum ad hoc preeprimis velim advertas animum, me illud unum afferere, essentiale hujus opinionis constitutivum alteri cuiquam auctori Philosopho in acceptis esse referendum; fateorque lubens, *Leibnizium* fuisse primum, cui hanc harmoniae praestabilitae

E bilitae

bilitae nomine insignire placuit opinio-nem.

Philopon.

Bene quidem! non crediderim tam-en, ut tu ipse rem omnem hac restri-ctione tua ex integro complanatam pu-tes? Existimarem equidem, novum No-men non esse singulare aliquod inventum. Certe nunquam satis mirari poteram, quod *Leibnizius* operae suae pretium ar-bitratus sit, *Bayleo* contradicere, dum hic nominis hujus inventionem cuidam *P. Lamy* adscribere voluit. *

Neophilus.

Verum est; *Leibnizius* cum idmodi levitate citra difficultatem liberalior esse potuisset. Certe amplius quid est, quam *Parsimonia*, si homines millionum divites ne teruncium quidem sibi facile subtrahi finant.

* Vid. *Baylei Lexicon Art. Rorarius Adnot.*
L. A. edition. germ.

finant. Hoc in casu tamen veniam meretur. Illud unum quippe acceptandum tibi est, eum non adversus *philosophicum Bayleum*, sed adversus *criticum Bayleum* fuisse lucri sui studiosum. Adversus *criticum Bayleum*, inquam, qui non raro e minoribus defectibus historicis grandes errores facere confueverat. — Verum quid moror ista? quin ad ipsam probationem propero, quam mihi omnium Leibnizianorum nomine imposueras. Prae caeteris quidem omnibus illud definiamus, velim; utrum in eo, quod proprium hujus opinionis sensum concernit, conveniamus? Quid tu *harmoniae praestabilitae nomine* reapse intelligis?

Philopon.

Id ipsum, quod omnes Leibniziani. Ejusmodi nimirum hypothesin, secundum quam omne id, quod in anima nostra cum modificationibus corporis concordat, mediante quidem corpore, sed tamen interna virtute animae, et non alterius aliquujus diversae substantiae virtutis influxu

E 2 in

in ea exoritur: quemadmodum omne id,
quod in corpore nostro cum modisatio-
nibus animae concordat, nullis aliis,
quam corporeis mechanicis viribus, me-
diante anima, in eo producitur. Si igit
tur e Leibnizianorum aliquo quaeramus,
per quid corpus et anima secum invicem
sint unita? hoc responsi daturus est: Deus
ab aeterno ejusmodi inter illa constituit
harmoniam, ut ad certas repraesentatio-
nes in anima factas certi etiam motus in
corpore sequantur, qui suam rationem
sufficientem in utroque similiter habeant;
nam rationem, per quam oriuntur, in
mechanicis viribus corporis; rationem
autem, cur, sive quem in finem orientur,
in statu animae. Vice versa ad certos
motus in corpore nostro factos certae
etiam cum iis concordantes repraesentatio-
nes subsequuntur in anima nostra;
quae rationem, per quam oriuntur, in vi
principali animae nostrae, inque pree-
denti ejusdem statu; rationem autem, cur
orientur, in motibus corporis nostri ha-
bent. Leibniziana similitudo de duobus
horologiis nota est.

Neo-

Néophilus.

Perfekte asssecutus es hanc opinionem; imo plene pervideo, te omnes illas objectiones supergressum esse, quas Bayle adversus eam in medium protulerat. Bayle, qui illam, mea quidem sententia, inter omnes ejus adversarios, qui tardius ipsam impugnaverant, optime assertus, atque ex ipsius Leibnizii confessione rectissime aggressus est.

Philopon.

Antequam progrediamur, illud mihi unum adhuc declarari peto: annon tibi videbatur Leibnizius respectu suae opinionis non omni ex parte secum ipso convenisse? Exempli gratia; in sua *Monadologia* longe aliter illam profert, quam in *Ephemeridibus Eruditorum*, in quibus eam primum eruditio orbi detexerat. Imo plene mihi persuasum habeo, eum Bayleanis objectionibus multo graviora opponere potuisse argumenta, si proprio

suo systemati constanter fidelis perstisset.

Neophilus.

Leibnizius suam opinionem nonnisi diversis sub formis protulerat, prout nimirum quavis occasione scopus ipsius exigebat. In *Monadologia* exhibet illam, qua sequelam e suo systemate de Monadibus deducit. Atque hic loci pleno lumine sese spectandam exhibet, et reapse Hypothesis esse definit, suumque inter veritates demonstratas sibi locum vendicat. *HANSCHIUS* * egregie id ipsum exposuit, et post illum *BAUMGARTEN* tanta cum evidentia demonstravit, ut eidem diutius immorari superfluum fore existimem. — Et vero quos illa hac ex parte nancisci potuisset adversarios? nullos citra dubium, praeter paucos illos, qui arma sua in ejus basin, in ipsas inquam Monades, direxerant. Utprimum illas quis eo, quo Leibnizio sumtae sunt, sensu

* In suis Principijs Philos. Leibnizian.

sensu admiserit, eo ipso necessum habebit omnes physicae substantiarum virtutis influxus e Natura prescribere; atque tum extra omnem iustum positi sunt *Harmoniae* defensores. Verum Philosophus iste noster nolebat *Harmoniae* sortem absolute a *Monadum* sorte pendere; probe quippe neverat, universali aliquo praejudicio idmodi veritatem nonnisi pro semivera haberi, ad quam una solum via nobis aditus patet, aut quae uni solum catenae sit accommoda. Quid igitur e natura magis fuerat, quam ut eandem extra suum quoque systema validam reddere adlaboraret? Istud autem in *Ephemeridibus Eruditorum* praestitit. Isthic autem, (perspicies, crediderim) nonnisi iis poterat adversum Bayleum usus fuisse armis, quae communis Philosophia ipsi subministraverat. Quod illic de omnibus in universum substantiis asseruit, isthic solum ad corpus et Animam restringere eum oportebat; et quidem ita restringere, ut Bayle subdubitate cooperit, utrum idmodi machina, prout corpus animale pro *Harmonia* prae stabilita comparatum esse deberet, reapse

non esset etiam quaepiam Impossibilitas. Leibnizio satis fuerat, probandi onus in suos adversarios retorsisse; praecipua quippe ipsius arma isthic loci acie fuis- sent caritura. Theoria illa de primigeniis entium simplicium viribus, e quibus, in compositione, extensionis et motus phoenomena originem sumunt, contra hos adversarios nihil prouersus subsidii adferre ei poterat; utut in nexus ipsius systematis pro basi serviat, ex qua Harmonia praestabilita rite consequitur: neque ullum de possibiliitate requisiti ad eam artificii relinquit dubitationi locum.

Philopon.

Haec animadversio non videtur mihi carere fundamento: atque jam probe etiam perspicio, cur Wolfius Harmoniam praestabilitam nonnisi eo sensu acceptaverit, quo eam Leibnizius contra Bayleum afferuit. * Cum enim determinare non

* Vid. Leibnizii Cosmologiam latino idioma-
te exaratum §. 206. 213.

non praesumferit, in quo entium simplium vis reapse consistat; neque illud pro confesso habere poterat, utrum omnia entia simplicia *perceptiones* haberent, atque utrum ex his perceptionibus extensio, viresque motrices compositorum sese explanari finerent.

Neophilus.

Recte omnino loqueris. Verum et illud pervidere isthinc potes, quanta cum attentione systematicus aliquis Autor sit legendus, priusquam adversus eum obiectiones formari, aut plane arguments ipsius irrita reddi queant.

Philopon.

Bene quidem! Atque hac ratione in eo, quod proprium hujus opinionis sensum concernit, perfecte jam convenisse-mus. — — — An autem in caeteris quoque conventuri sumus? — Tanta certe est curiositas mea, ut mihi jam demum taedio etiam futura sit, nisi illico ex te

intelligam, quisnam ante Leibnizium hac
in parte Leibnizianus fuerit.

Neophilus.

Ego tibi imprimis nonnisi Verba
hujus Philosophi adducturus sum, quin
nomen ipius tibi detexerim. Opus, ex
quo verba haec desumta sunt, anno 1677,
adeoque 14 annis prius, quam Leibni-
zius suam hypothesin eruditio orbi com-
municaverit, typis excusum erat. —
Audi jam locum illum, quem ego magis
menti meae impressum habeo, quam ut
non illico etiam e memoria illum tibi re-
citare valeam:

“ Corpus nequit Animam ad cogi-
„ tandum, nec Anima valet corpus sive
„ ad motum, sive ad quietem, sive de-
„ nique ad aliud quidpiam (siquid ad-
„ hoc praeter haec possibile est) deter-
„ minare. “

Et in adnotatione addit Autor:

„ Si-

“ Siquidem hoc per experientiam
„ non confirmo; vix crediderim, cui-
„ quam persuaderi posse, ut argumenta
„ mea absque praejudicio expendat.
„ Adeo certum esse existimant homines,
„ quod Corpus ad nutum animae, per-
„ que ejus vires jam ad motum, jam ad
„ quietem determinetur. Verum nullus
„ adhuc determinavit, quid reapse po-
„ sit Corpus; id est, nullus adhuc expe-
„ rientia doctus est, quidnam Corpus vi-
„ legum motus, in quantum nimirum
„ illae qua corporeae nobis consideran-
„ dae veniunt, possit; et ad quid illud
„ per Animam determinari oporteat.
„ Nemo internam corporis structuram
„ tam exakte perspicit, ut omnes etiam
„ ejusdem Facultates penetrare valeat.
„ Certe in brutis animantibus ejusmodi
„ res observamus, quae omnem huma-
„ nae mentis aciem excedunt. Noctam-
„ bulones (*Lunatici vulgo dicti*) in som-
„ no multa patrant, quae vigilantes nun-
„ quam agere praesumissent. Ex quo
„ manifeste perspicitur, Corpus secun-
„ dum leges motus multa posse, quae
„ post-

„ postmodum ipsam Animam in admiracionem rapiunt. “

Philopon.

Haec Verba, nisi fallor, *Spinosam* mihi produnt.

Neophilus.

Non falleris, Philopon! Verba sunt Propositionis secundae Partis tertiae ejus Doctrinae Morum. Et huic immediate subsequens sic habet:

“ Actiones animae oriuntur ex ideis
„ adaequatis; Passiones autem ex ideis
„ inadaequatis. “

Hanc propositionem per id demonstrat, quod essentia Animae in ipsius cogitationibus consistat. Omnes autem cogitationes ex adaequatis et inadaequatis ideis sunt compositae. Jam vero quod ex Natura Animae consequitur, id est, quod Anima pro causa proxima habet, ex qua

qua illud explicari possit, vel ex adaequatis, vel ex inadæquatis ideis consequatur, est necesse. Postquam autem jam alibi demonstraverat, ex inadæquatis ideis nonnisi Passiones oriri posse, infert exinde, Actiones animae ex ejusdem adaequatis ideis ortum trahere oportere.

Philopon.

Hac in re nihil adhuc detego, quod *essentiale Harmoniae Leibnizianae* constitutivum prodere posset. Etiam si *Spinoza* afferat, Animam et Corpus non agere reciproce in se invicem, nihil tamen aliud intuleris, quam quod forsitan systemati causarum occasionalium adhaeserit.

Neophilus.

Prorsus non! Nihil certe Philosophiae spinosanae ita adversatur, prout systema causarum occasionalium. Hujus opinionis defensores necessario debent Enti illi, quo mediante Corpus et Anima sibi invicem unita sunt, liberum arbitrium

trium admittere: quomodo autem *Spinoſa* in id consentire poterat? Ille, qui Intellectum et Voluntatem pro uno eodemque habebat? Vides etiam, eum expressis verbis asserere, omnes modificationes, quae in corpore eveniunt, e puris principiis mechanicis, sive, ut verbis ejus utar, e legibus naturae corporae posse intelligi: ejusmodi opinio, qua defensores causarum occasionalium nulla ratione possunt esse contenti. Imo ipse *Spinoſa* omnibus Leibnizianorum effugiis uititur. Ille, prout tu, se provocat ad incertitudinem, cui nos circa internam corporis nostri structuram immersi haeremus: ac demum ad id quoque, quod nullus adhuc impossibilitatem ejusmodi machinae ostenderit, quae mechanica ratione omnes illas actiones nequiret peragere, ad quas hoc vel illud particolare corpus est determinatum.

Philopon.

Verum poteratne *Spinoſa* perinde, atque *Leibnizius* fecerat, ad sapientiam
Dei

Dei recurrere? Nostī tu, quantopere Leibnizius ad hanc proprietatem divinam semet provocaverit; quae utique Spinosae nihil poterat subsidii praestitisse.

Neophilus.

Jam in ipso sermonis nostri exordio tibi dixeram, Leibnizium hanc hypothesin in suum transtulisse sistema; id est, omnibus illis usum fuisse praerogativis, quas ipsi suum sistema subministraverat.

Philopon.

Detur jam, concedi abs me oportere tibi, *Spinosam* non potuisse causarum occasionalium sistema acceptare; tum saltem sequitur, nonnisi una ex parte eum Harmoniae adhaelisse, nimirum quoad modificationem corporis, et rationem ejus sequelae ad se invicem. Ille nihilominus, prout ego quidem existimo, de omni eo, quod Animam, ejusque idearum sequentiam concernit, altum tacuit. Ait ille quidem, *Actiones et Passiones Animaee* ex ejus-

ejusdem adaequatis et inadaequatis ideis
ortum trahere; verum quomodo illae mo-
dificationes Animaे se explicari sinunt,
quae manifeste non priorem statum Ani-
mae, sed ipsos Corporis motus pro cau-
sa habent? Si ideæ corporeæ sunt Pa-
siones animae, quam nobis *Spinoſa* viam
pandet, qua (citra subsidium corporis,
eiusque membrorum) ex inadaequatis
ideis eas deducere valeamus? Si autem
de hac difficultate ne cogitavit quidem:
tum certe hypothesis ista adeo inconnexa
est, prout multæ aliae opinioneſ absurdæ,
quas mirabilis iste Vir in ſystema ſuum
cogere fatigebat.

Neophilus.

Spinoſanae opinioneſ, e communi
eruditioſ orbis ſententia, perquam absurdæ ſunt;
reapſe autem nonniſi eatenus
absurdæ ſunt, quatenus ipſe illas ad
hunc viſibilem extra nos poſitum mun-
dum applicare voluit. Verum respectu
mundi illius, qui, ut cum Leibnizio lo-
quamur, antecedenter ad decretum Dei,
qua

qua possibilis aliquis rerum diversarum nexus, in ejus intellectu extiterat; multum ex his *Spinozæ* opinionibus cum vera Philosophia, atque Religione subsistere potest. Sed de his alias. Pro nunc satis mihi factum fuerit, ostendisse tibi, *Spinozam* adtaetæ per te difficultatis quam optime meminisse. Experientia illa, quod sequela cogitationum nostrarum corporeis affectionibus interrumpatur, magis communis est, quam ut a quoquam Philosophorum praeteriri valeat. Propositione septima partis secundæ ipsius Doctrinae Morum ita habetur:
 „Ordo et nexus idearum idem est cum
 „ordine et nexus rerum.“ An tibi
 nunc redit in memoriam, quod *Leibnizius* in sui defensionem adversus *Bayleum*
 adfert, dum iste illi objectionem facit,
 quod, citra alterius ejusdam substantiae
 actionem in Animam, impossibile sit con-
 ceptu, qua ratione illa immediate a vo-
 luptate ad taedium, a tristitia ad gau-
 dium transire possit? Annon ille etiam
 docet, modificationes in Anima ex eo-
 dem principio repeti posse, per quod

modificationes in hoc visibili mundo
concipi queunt? Quod in Anima eodem
modo sibi invicem cuncta succedant,
prout in nexu rerum subsequuntur?
Quid hoc aliud significat, quam quod
Spinoza verbis superius allatis inquit:
„Ordo et nexus idearum idem est cum
„ordine et nexus rerum?“

Philopon.

Reapse mihi rectum habere videris.
— Quam mirum in modum comparatus
est Intelle^ctus humanus! *Spinoza* per ab-
surd^a, atque erronea principia in can-
dem fere opinionem incidit, ad quam
Leibnizium certissimae, ac sanissimae de
Deo et mundo ideae perduxere. — —
Verum illud unum adhuc abs te manife-
stum mihi reddi peto, quid de ejusmodi
opinione sentiendum sit, quae e duobus
sibi oppositis principiis pari cum eviden-
tia determinari se patitur?

Neo-

Neophilus.

Spinoſa non est per errores et absurditates sui systematis, sed per Veritatem in eodem contentam ad hanc summi momenti hypothesin perductus. Nunquam adhuc ejusmodi systema extitit, quod e meris falsis coauiffet principiis. Et quidem de *Spinoſano* illud singulariter dici potest, quod pleraque ejusdem erronea principia non tam falsa sint, quam imperfecta. Erravit ille; quia, ita loquendo, una nonnisi Philosophiae parte contentus fuerat, quae tamen absque altera nequit subsistere. Quid mirum igitur, quod mediantibus certis, quae in ejus systemate latent, principiis multas alias Veritates detegere, inque suarum consequentiarum corollaria innectere potuerit? Qui ea attentius considerat, advertet tamen, illa cum absurdo, quod in ejus systemate reperitur, nulla prorsus ratione cohaerere.

Philon.

Scisne, non mediocrem te mihi injecisse scrupulum circa *Leibnizii* nostri fidem, ac sinceritatem? Qua fronte poterat ille acceptasse, ut universus eruditus orbis de hoc invento ipsi gratularetur? ille, qui probe noverat, non integrum sibi soli competere gratulationem?

Neophilus.

Utut alia quacunque occasione tanto Philosopho, quantus *Leibnizius* erat, indigna fuisset ejusmodi actio; hoc tamen in casu veniam mereri illum existimo. — Certe in seram usque noctem confabulaturi essemus, si rem omnem tibi ex ovo enarrare deberem. Satis est novisse, ejusmodi reperiri homines, qui ipsas etiam Veritates non nisi secundum certam aliquam genealogiam aestimant. Ut sententiam aliquam improbent, illud ipsis scire sufficit, quod apud hunc vel illum Autorem quadam cum erroribus affinitate juncta fuerit. Nequeunt illi sibi-

bimet persuadere, quod ejusmodi sententia erroribus cripsi, atque a veneno liberari queat, quo per errorum miasma infecta est, quod cum ipsa unum Totum effecerat. Edic mihi, annon hi homines, si *Leibnizius* ingenue fassus fuisset, se essentialia suae Harmoniae constitutivum a *Spinoza* mutuasse, annon, inquam, hi homines vel auditio *Spinozae* nomine illius absurditatem reperisse se arbitrati fuissent? Certo certius sane! imo non neglexissent etiam autores esse simplicitati, ut sibi quam maxime caveret, ne vel minimam idmodi hominis, qui peste correptus esset, supellectilem usurparet. — Quod hujusmodi similitudines impressionem faciant, probe noverat *Leibnizius*; ille, qui non modo maximus, sed cautissimus quoque fuerat Philosophus. — Verum nolim, ut sermone meo serius tibi molestus accidam. Nosti tu, quam inevitabile sit cogitanti Monadi nostrae, ut de tempore in tempus aliquot fese gradibus humiliet; hac videlicet ratione ad statum dormientis Monadis redditura. — Non possum equidem magis meta-

physice Tibi bonam, quietamque pre-
ri noctem.

DIALOGUS II.

Philopon.

Neophilus.

Philopon.

— — — **V**erum cur nos de eo sumus solliciti, utrum metaphysica colloquia nostra inter politiora illa, et neomoderna sint reputanda? satis illud nobis sit, quod pro nobis tantundem momenti, quantum gratiae, contineant.

Neophilus.

Pro nobis tantum? Certe momen-
tum hoc, atque gratiam istam pro omni
Ente cogitante abstractae Veritates fun-
damentales habeant, est necesse. Et
qui-

quidem illae praeprimis Veritates, quae aliquam cum Psychologia in se continent relationem. Non habent illae quidem immediatum aliquem in vitam humanam influkum, nihilominus nobilissimum tamen praestant, ac dignissimum cognitio- ni nostrae argumentum, quia objecta ejus et nobilissima sunt, et dignissima.

Philopon.

Aetas nostra prorsus oblita fuisse videtur, Metaphysicam hac ex parte considerare. Deus Bone! quantopere despiciatui habetur illa olim scientiarum Regina! quae a Germanis adeo amata quondam, adeo honorificata fuerat. Obstupeo, neque causas reperire valeo, cur hodierno tempore tantum humiliata dehiscat!

Neophilus.

Non reperire causas? an ergo adeo latent absconditae, ut in eas multis ad-
huc opus sit inquirere? Non illud certe,

— Verum quid juvat sibimet plus meriti
tribuere, quam reipse aequum sit tri-
buisse? Sine, fateamur etiam, alium
quoque, quam Germanum, quin addo,
alium quoque, quam Christianum, *Spino-
sam* videlicet ad reformandam Philosophi-
am non mediocriter fane contulisse.
Antequam e Cartesiana ad Leibnizianam
Philosophiam transitus fieri poterat, ne-
cessum fuerat, unum aliquem in immen-
sam, inter utramque harum Philosophia-
rum sitam, abyssum agi praecepitem. In-
felix ista fors cecidit in *SpinoSAM*. Quan-
ta compassione dignum est tanti Viri fa-
tum! Ipse Victimam factus est pro Intel-
lectu humano; ast ejusmodi Victimam, quae
floribus meretur redimiri. Absque eo
nunquam suos limites adeo extensura
fuerat Philosophia.

Philopon.

Hujus Viri infelicitas omni tempo-
re animum meum praeter modum affe-
cerat. Vixit ille temperanter, modeste,
ac inculpate; omnemque vitam suam con-
tem-

temptationi impendebat. — Et ecce! praeter opinionem cogitationum suarum labyrintho involutus ad devia perducitur, atque in multos idmodi errores prolabitur, qui cum Vitae ejus integritate neutiquam convenient; quosque abjectissimus quisunque scurra concupiscit, ut pessimis suis desideriis impune litare possit! Quam injustum est adversus idmodi infelicem implacabile Eruditorum odium!

Neophilus.

Hujusmodi farinae homines obsequium se praefare Deo arbitrantur, neque mediocre Religioni adferre incrementum, dum ejusdem adversarios injuriis afficiunt, et contumeliis quodammodo obvolvunt. At vero plus damni inferunt, quam conferre lucri sibi male persuasum habent. — — Incredulus in praeconceptis opinionibus suis tanto pertinacius obfirmat animum, quia Contumelias fortissima esse existimat arma, quibus ab idmodi adversariis impugnari possit: impartiales autem animi ipsum, qua partem offen-

offensam, considerant; atque ex magnanimitate ejusdem parti adhaerent. — —
 Inter omnes *Spinoſae* adversarios unicus Wolſius huic errori non est obnoxius.
 Magnus iſte Philosophus *Spinoſum*, antequam eum impugnet, in plenam lucem collocat; fortissima ſui parte ſpectandum illum exhibet; atque eo ipſo debilitatem, ac inanitatem ejus quam optime detexerat. Qui objectiones ejus cum attentione perlegerit, nunquam certe induciturus eſt animum, ut *Spinoſae* adſtipuletur.

Philopon.

Cur autem Bayleum praeteris? annon ille quoque erronei hujus ſystematis vanitatem ſat ſuperque expoſuerat?

Neophilus.

Protulit ille quidem in medium egregias quasdam adverſus *Spinoſam* objec‐tiones; verum tot ſophiſmatibus et confe‐quentiis intertextas, ut ipſe iisdem omnem

omnem quodammodo vim roburque aderit. Illam e. g. ideam, quam de extensione sibi *Spinoſa* formare videtur, ponderosis certe argumentis impugnabat, fatis manifeſte demonſtrans, eam nulla prorsus ratione qua infinitam aliquam Dei proprietatem considerari posse. Verum cui bono fuerit illa corollariorum copia, quam *Spinoſae* adtribuit? Quid bonae frugis contulerint odiosae illae instantiae, quod e *Spinoſae* ſententia, si Christiani adverſus Turcas caſtra fequantur, Deus contra Deum arma sumat? quod Enti ſupremo cuncta homicidia, rapinae, adulteria, et incestus adſcribi oportet? etc. Annon illum, si omnes has objectiones suas validas reddere voluifſet, prius adverſus *Spinoſam* evincere oportebat, rea- pſe dari ejusmodi in Deo imperfectiones? Scimus autem, *Spinoſam* expressis verbis his contrarium afferuisse. Donec Bayle vallum iſtud, quo ſemet hostis ipſius obfirmat, non ſubruerit, omnibus iis incuſationum iectibus, quos in illum vibrare ſatagit, nonniſi aērein verberat.

Phi-

Philopon.

Rectum habes. Et mihi quoque nunc
redit in memoriam, ipsum Bayleum fate-
ri, se *Spinoſae Opera* non rigorosa fatis
attentione pervolvisse. Nihil nisi quae-
dam inadvertentia potest ejusmodi Philo-
sophum, qualis Bayle est, iniquum ag-
gressorem efficere; nam Zelus adversum
heterodoxos, qui acutissima etiam fasci-
nare consuevit ingenia, *Baylei* calatum
profecto non manuduxerat.

Neophilus.

At vero mentis acies in errores tan-
to majores eum seducere poterat. Acies
illa ingenii, quae tot inermes jam effe-
cit adversarios, quot Zelus. Quam pa-
rum utriusque argui potest *Wolfius*!
Praefat ille omne id, quod Bayle negle-
xerat, quodque vel omni possibili adhi-
bita industria neglecturus erat. Demon-
strat ille, *Spinoſam* existimasse, ex infi-
nita finitarum perfectionum copia unam
in infinitam quodammodo componi posse;
atque

atque demum tam clare opinionis hujus absurditatem exponit, ut plene mihi persuasum habeam, ipsum *Spinoſam* lubenter illi assensum fuisse praebiturum. Neque enim ex indomabili illa sic dictorum *Atheistarum* pertinacia ad hujus quoque Philosophi animum duci potest argumentum. Ex ignorantia ille, non autem ex animi perversitate in errores prolapsus est.

Philopon.

At vero tu ipse mihi heri ostenderas, *Spinoſam* harmoniae praestabilitae patrocinatum fuisse. Si reapse animus ei suisset de veritate semetipsum convincendi, quam facili negotio potuisset ille ex eadem inferre, animam virtute aliqua praeditam, atque eo ipso diversam ab alijs substantiam esse, realiter existentem?

Neophilus.

Non videtur mihi, isthoc immedia-
te ex harmoniae systemate inferri posse.

Ve-

Verum cum ipse hesterium sermonem nostrum in memoriam mihi revoces; indulge mihi hodie, ut judicii tui propo-nam sententiam, de qua mihi quasi per transenam oborta est suspicio. Concer-nit autem speciem illam, sub qua syste-ma *Spinozanum* cum *Ratione ac Religione* subsistere valeat? Noveris tu, Leibni-zianos duplarem quodammodo mundi existentiam adstruere. Mundus, ut cum ipsis loquar, ante decretum Dei inter omnes possibles mundos in intellectu Di-vino extiterat. Deus ipsi, cum optimus sit, praec omnibus possibilibus mundis praecedentiam, ac demum etiam realem extra se existentiam tribuebat. Jam au-tem non sic *Spinoza*. Ipse in prima illa mundi existentia substituit, crediditque, nunquam adhuc mundum aliquem extra ipsum Deum realiter existere coepisse; atque immensam hanc rerum visibilium universitatem in praesentem usque diem non extra Deum existere, sed continuo adhuc nonnisi in intellectu divino reperi-ri posse. Quod Leibniziani de systema-te mundi afferunt, quemadmodum vide-licet

licet in intellectu divino antecedenter ad Decretum extiterit, id ipsum *Spinoza* de hoc visibili afferi posse autumabat. Dicunt illi, Deum sibi possibilitatem entium contingentium proposuisse, cum proprias suas perfectiones sub certo aliquo gradu limitationis cogitare potuerit. * Ita etiam afferit *Spinoza*: “ Omnes res particulares exprimunt proprietates Divinas certo aliquo limitato modo. ” Secundum Leibnizianos nota characteristicæ entium contingentium in intellectu divino (nam etiam antecedenter ad decretum debebat contingens distinguentem habere notam) in eo consistit, quod absque infinita causarum serie concipi nequeant. Iisdem fere verbis docet *Spinoza*: ** Idea cuiuslibet entis particularis, quod reapse existit, habet Deum pro causa;

„ et

^{*} Wolfius in Theol. Natural. P. II. §. 92.
Deus possilia prima omni possibili modo limitat, et omnes eorundem limitationes quam distinctissime, ac simul cognoscit.

^{**} Vid. Propos. IX, Partis II. Doctr. Mor.

„ et quidem non quatenus infinitus est,
 „ sed quatenus in ipso idea alterius en-
 „ tis reperitur, quod pariter reapse exi-
 „ stit. Eadem ratione Deus causa hujus
 „ postremi, quatenus in ipso idea cu-
 „ jusdam tertii reperitur; et sic in infi-
 „ nitum. “ Quid autem in hac senten-
 „ tia exponendum habet fundatus aliquis
 Philosophus, si applicetur mundo, prout
 is in intellectu divino extiterat?

Philopon.

Bene quidem! Haec igitur esset pars illa, qua spinosum systema cum Veritate cohaereret. At vero nondum per hoc mihi satisfactum putas. Quomodo enim ille harmoniacae praestabilitae ideam habere poterat, et negare tamen, Animam esse substantiam?

Neophilus.

Id ipsum tibi modo palam facere constitui. — *Spinozæ* mundus, prout vidi-
 mus, est mundus idealis; idmodi nimi-
 rum

rum quid est, quod secundum systema Leibnizianum antecedenter ad decretum hujus nostri realiter existentis mundi *Ideale* fuerat. Adverte jam animum. An non quaelibet definitio de commercio corporis et animae tam ad illud *Ideale* aeternum, quam ad visibilem istam ejusdem Copiam debet esse accommodata?

Philopon.

Citra Controversiam.

Neophilus.

Jam autem in hoc *Ideali* idea illa, quae animam humanam exprimit, non est substantia; neque habet singularem aliquam Virtutem ac vim, quae modificationes peragere posset. Si igitur Leibnizius commercium animae et corporis respectu hujus *Idealis* definire debuisset; certe ideam illam, quod anima modificationes propria virtute sua peragat, dissimilare necessum habuisset: et tamen semper adhuc systema ipsius a systemate cau-

sarum occasionalium toto coelo diversum esse persistebat. Nam secundum ipsius systema consequentes representationes in Ideali animae nostrae e praecedentibus distincte se sinunt explanari, quod secundum systema causarum occasionalium non obtinet. Cum autem *Spinoza* nullam prorsus *Copiam* realiter productam, sed solum nonnisi *Ideale* admittat; poterat utique *Harmoniae* habuisse ideam, quin inde intulerit, Animam virtute aliqua per se ipsam subsistente praeditam esse. Hinc manifeste perspicere possumus, quam parum *Harmonia* se sola par fuerit illi suis erroribus eripiendo.

Philopon.

Rem omnem ad amissim intelligo, ac probe etiam pervideo, quantum *Spinozae* errori in acceptis habeamus referendum. Exiguus sane fuerat ab eo ad Veritatem gradus. Vulgo creditur, *Spinozam* nullum inter entia necessaria et contingentia fecisse discrimen: an autem illud non sufficit, quod expressis verbis
affe_g

asserat, *Necessarium e proprietatibus di-*
vinis, quatenus ilie infinitus est; contin-
gens autem, quatenus in illo infinita
contingentium series reperitur, distincte
explicari posse? Error illius itaque longe
aliud quid fuerat, quam quod forsitan
omnes ejus adversarii existimant. — Ve-
rum quid illi argumento esse poterat, ut
Deo Libertatem abjudicaret?

Neophilus.

Si quando citra suam culpam in er-
 rorem aliquem prolapsus est, tum certe
 iste praeceteris pro ejusmodi errore
 fuerit habendus. Confudit ille *Indifferen-*
tiam Aequilibrii cum vera Libertate. At-
 que hunc errorem cum innumeris etiam
 orthodoxis Philosophis habet communem.
 Verum non deerat illi acumen ingenii,
 vi cuius probe perspexerat, electionem
 cuiuslibet entis ratione praediti semper
 motivis determinari; unde *Indifferentiam*
 istam pro impossibili reputabat, cunctis

que entibus ratione praeditis *Libertatem* abjudicabat. *Leibnizius* hunc errorem feliciter discusserat, invictè demonstrans, *Veram Libertatem* in electione optimi consistere; quodque motiva electionem determinent, tollantque casum mere fortuitum, nunquam tamen possint efficere *Necessitatem*. — Stupenda sane est hominum prae sumptio! Parum aberat, quin in premium explanatae hujus ideae *Spinozismi* insimulatus fuerit *Leibnizius*!

Philopon.

Pro hodie satis dictum! Sine, cum novo hoc argumento innotescam penitus, quod mihi offerebas; sicque crastina die amplius aliquid. Jam clare assequor, animadversionem, quam *BACO* de Philosophis in particulari fecerat, etiam Philosophiae generatim applicari posse. Utriusque progressum par fatum manet. In principio *superstitiose*, dein *heterodoxe*, tandem *orthodoxe*.

Neo-

Neophilus.

Verum nec illud prorsus oblivioni dederis, Deum in hoc mundo cuncta in Bonum convertere. *Spinosae* periculosi errores debebant in emolumentum cedere Veritati.

DIALOGUS III.

Numeſianus. Callisthenes.

Numeſianus.

Tu igitur *Candidum* * legisti?

Callisthenes.

Mordacissimam illam in germanicam nostram de *Mundo optimo* hypothesisin quis non legeret satyram?

G 4

Nu-

* *Candide*, titulus libelli a Voltaire de *mundo optimo gallico idiomate*, gallico ingenio,

Numeſianus.

Videtur mihi Autor, hujus hypothēſis vanitatem feliciter admodum detexiſe. Fatearis ingenue, — quamcunque demum Germanis, quamcunque Metaphysicis affectus ſis bene etiam, — annon in riſu te folvi oportuit?

Calliſthenes.

Oportuit certe; quis enim *Voltairenum* riſu non dignaretur? demtis iis, quae illo reaſe indigna funt, locis parvum hocce commentum cum voluptate perlegeram.

Numeſianus.

Annon etiam rubore ſuffusus aliquo, quod alias huic opinioni addicetus fueris?
— Non te fateri pudeat!

Cal-

nio, et gallicis etiam argumentis conſerpti.

Callisthenes.

Certe ne minimus quidem me rubor suffuderat; ego quippe nihilominus opinioni huic fidelis perfisti. Aut non credis forsitan, res ejusmodi, quae nobis risum movent, veras tamen esse posse?

Numeianus.

Istud quidem classicus Autor tuus
Lord Shaftesbury * sibi minime persuasum
habet, qui ejusdem est cum graeco illo
Sophista sententiae, **Ludicum** (Ridicu-
lum) pro *lapide lydio* Veritatis habens.

G 5

Cal-

* Autor Anglus, cuius opera numero plura-
ma, sed cum primis ejus *Characteristicae*, et
de *Enthusiasmo*, precarer, ut ab omnibus
Eruditis legerentur. Latet in iis majoris,
quam multi existent, momenti aliquid.

Callisthenes.

Et qui idmodi quid asserit, quod graeco illi Sophistae, *Gorgiae Leontino* *, ne in mentem quidem venerat unquam. Quantum ex ipso nexu inferre licet, in quo Aristoteles *Gorgiae* sententiam adducit, nonnisi ejusmodi stratagemma rhetoricum docere Sophista voluit, quod in publica disputatione, et logomachia locum habere posset. Dicebat ille: *Ridiculum serio, et serium ridiculo discuti*
opor-

* Sophista hic vixit Olympiade 88va; Orator extemporaneus, tantus tamen, ut Athenienses dies illos, quibus ad concionem dixerat, ἵσπτος, sive *dies festos*, ipsas autem Orationes ejusdem λάμπαδες, lumina passim appellaverint. Graeci propter Orationem, quam Pythiis dixerat, in templo Apollinis Pythii auream ei statuam erigebant. Annos 108 vixerat. Plura de eo vid. apud Philostratum Vit. Sophist. I. I. c. 9. Cicer. de fin. I. 2. c. I. Diodor. Sicul. I. 12. Platon. in Gorgia. Fabric. Bibl. Graec. I. 2. C. 26.

oportet; * id est: Si adversario e voto cef-
fit, ut per seriam aliquam consideratio-
nem attentos obtinuerit animos, adlabo-
ra serium illud per ridiculum aliquid di-
scutere. Si autem ridentes ipsi favere
cooperint, dabis operam, ut per seria
jucundos eorum animos disturbare valeas.
Inde a Gorgiae temporibus diversi jam
Sophistae isthoc stratagemate, saltem
quoad primam ejus partem, feliciter uti
noverunt. — Audi jam, quem huic loco
sensum dederit Shafesbury; sic enim scri-
bit: ** “ Jam antiquitus Sapientum ali-
„ quis dixerat, *Focum unicum esse serię*
„ *lapidem lydium*; *sicut et serium unicus*
„ *joci lydius lapis est*; nam, quod sarcas-
„ mum sustinere nequit, suspectum est;
„ uti et jocus, qui seriam inquisitionem
„ non suffert, citra dubium sciola sagaci-
„ tas est. “ Ecce unum jam *lapidem ly-*
dium

* Την μην σπιθόνη διαφείρειν γελωτι, τον δε
γελωτα σπιθη. Aristotel. Rhet. Libr. 3. Cap.
18.

** *Essay en the freedom of wit and Humour.*

dium * in vicem argumenti; verum semper adhuc Iydiū lapidem serii et festivi, quod aliqua solum ratione defendi queat. In fine Anglicus Autor Ridiculum plane pro Criterio Veritatis statuit. O si Shaftesbury triginta aliquot ejusmodi Criteriorum tomos vidisset, quae nos Voltairo in acceptis habemus referenda!

Numeſianus.

Quantum mihi quidem notum est, cavit ſibi Shaftesbury ab abuſu, ſuamque adeo intra limites coercet ſententiam — —

Callifthenes.

Adeo certe, ut limites vix locum ipſi ſententiae permittant reliquum; quemadmodum Aletophilis (Veritatis amantibus) plerumque uenit, qui ſemet ſeduci ſinunt ad paradoxum aliquid affe-

* Shaftesbury non abs re aliquantum amphibologica latinae versionis verba citat: ſeria riſu, riſum ſeriis diſcutere.

asseverandum. Coguntur illi tandem hominem praestare Veritati, et tamdiu restringere, ac limitare, ut sententia, quae in principio singulariter admodum sonabat, pedetentim usque ad perquam vulgare aliquid dehiscat. Ridiculum est lapis lydius Veritatis, hoc paradoxe sonat, promittitque aliquid novitatis. Verum post omnes confessiones et limitationes, quas Veritas sapienti Shaftesburyo extorquet, nihil haec propositio aliud significat, quam quod jam dudum noveramus; videlicet: Veritas nihil in se absurdum babere patet, quod irrideri mereretur. Quo enim aliorum nos deducat Shaftesburyana distinctio inter ludicum effici, et ludicum esse?

Numeſianus.

Distinctio haec se ipsa sat superque patet; quid enim non novit ludificare nequitia?

Cal-

Callisthenes.

Id est, nequam aliquis res quamcunque serias in ejusmodi oppositionem novit convertere, in qua risum necessario moveant. At vero per id ipsum non est adhuc res omnis etiam complanata. Etiam tum, cum res aliqua in et per se, in naturali sua positione, ridicula videatur, reapse tamen vera esse potest.

Numeſianus.

Hic jam nobis manifesta fit distin-
tio illa inter *videri*, et *effe*. Haec quippe etiam supponitur.

Callisthenes.

Sed adverte paulisper, in omni ge-
neratim *ludicro* totum fere in *videri*, sive
in illa acceptatione consistere, qua obje-
ctum aliquid consideratur. Ludicum
perinde, ac gratum, dolorificum, tae-
diosum, nota quidem est objecti, sed
nonnisi quatenus ad certa subjecta certi-
cu-

cujusdam modi impressionem faciendi capax est. Requiritur quidem ad hoc certa quaedam objecti constitutio, ut hanc impressionem conserat; verum in subjecto etiam desideratur certa aliqua promptitudo, ut hanc impressionem acceptet. Ex parte subjecti inter *videri* et *esse* nulla prorsus intercedit distinctio; nam Impres-
sio et Aetiones ejusdem possunt in utro-
que casu aequales esse; unde etiam re-
spectu ridentis omne id ridiculum est,
quod ipsi risum movet. Ad objectivam
Ridiculi rationem, sive ad *realem absurditatem* redire nos oportet; si id, quod reapse ridiculum est, ab eo, quod non nisi ridiculum videtur, discernere velimus. Quod reapse ejusmodi absurdita-
tem, sive palpabilem dissonantiam comple-
titur, illud ridiculum est; quod autem revera ab hoc immune est, illud ad sum-
mum nonnisi *speciem* ridiculi praeser-
pet. Hoc respectu dicere possumus, rem aliquam posse ridiculam videri, quin revera objectivam ridiculi rationem in se contineat; id est, quin absurdum sit. Si igitur *Lord Shaftesbury* Ridiculum nobis

qua

qua lydium Veritatis lapidem dilaudat; tum proprie objectivum Ridiculi, sive ipsum *absurdum* existimare debet: neque aliud quidpiam ejus nos docet Propositio, quam, Veritatem rite consideratam nihil absurdii continere, neque mereri, ut rideatur. Quis hoc autem in dubium vocavit unquam? aut forsitan haec ipsa fuit rara illa opinio, quae nos in principio adeo reddebat attentos? — —

Verum sine, revertamur ad *Candidum* Voltairi, qui huie quaestioni insti-tuenda nobis ansam praebuerat. Praetermittamus id, quod Poëta iste in ipso principio Providentiam insimulaverit, atque exiguo spatii ac temporis ambitu plus *Mali* comprehendenterit, quam verosimiliter unquam in ejusmodi ambitu peragi valuerit. Praetereamus, quod exiguo hoc ambitu ipsum illud *Bonum* reticeat, quod secundum *Naturae* leges cum iis ipsis, quae tam subdole confinxerat, malis necessario coniunctum fuisse oportebat. Neque illud isthic meminisse juverit, quod animi dotem prodat — quam ipsi

ipſi nulla prorsus ratione invidemus —
dotem inquam, rem etiam innocentissi-
mam fuso malitiae illinendi, atque, ita
loquendo, illic orcum detegendi, ubi
Deus Paradisum plantaverat. Prae-er-
missis potius omnibus ejusdem praemis-
sis, atque ipsa etiam historiae fide eidem
non negata, illud unum scire oporteret,
quam nos ex his omnibus consequentiam
inferre valeamus? Illudne forsitan, quod
mundus aliquis nostro perfectior sit possi-
bilis? — quod immensa haec corporum
spirituumque Universitas physicis ac mo-
ralibus regi possit legibus, quae nullo
prorsus cujuscunque hujus mundi partis
angulo ejusmodi mala latere finant, qua-
lia reapse existere in *Candido Voltairi*
perhibentur? — Manifesta enimvero
fuerit haec insipientia, aut, quod pleri-
que horrent magis, *summe ridiculum*. Re-
flecte sis animum, quantopere Voltairus
excandescat illico, simul ac unus de gre-
ge Diurnalistarum aliquis ipsius Tragae-
diarum quampiam perstringere adtentat.
Et tamen ipſe sibi plus libertatis arrogat

in Creatorem, quam Freronio * cedat ad-
versum se.

Numeſianus.

Prout mihi quidem videtur, non
est, cur a tuo te fineres abduci systema-
te, etiamſi *Candidus* vera effet historia,
et non commentum.

Cal-

* *Freron Parisiis degens, non confennendi ingenii Vir, Voltairi scripta saepius ingenioſe fatis in publicis Novis exagitaverat; ve- rum faventius erat Gallorum de Voltaire praejudicium, quam ut autoritate, aut etiam rationibus *Freronii* fides haberetur.*
*Quin etiam adeo nomen ejus in Gallorum animis eviluit, ut in hanc usque diem ho- mo quisunque abjectus paſſim Gallis *Freron* nuncupetur. Contra MENDELSSOHNİ noſtri tanta etiam apud Gallos eft autoritas, ut, tametſi saepius indomablis caeteroquin Voltairi malleus fuerit, Nomen tamen ejus non inviolatum m̄do, sed MAGNUM quo- que perſſiterit.*

Callisthenes.

Non sane! Absolute quippe ignorari oportet, quid rei subsit, dum ad refutandum, prout alter aliquis Autor gallicus fecerat, sistema germanicum quae-dam Historiae gallica imago repraesentatur, atque integra malorum catena per-texitur, e quibus Acta Status gallici sunt compilata. * *Bella intestina Civium, cru-*

H₂ entas

* *Bella intestina Civium*, et *Cruentae Nuptiae*
in Gallia videri possunt apud Jac. Aug.
Thuanum Hist. Tom. I. Lib. 36 et 29. —
Dimachomachia, quam MENDELSSOHN
Dragonerverfolgung appellat, fuit infamis
illa Protestantium persecutio, quae hodie
dum Gallis sub nomine *Dragonarde* celebris
est. — *Systema Lawianum* a Joanne Laws
sic dictum, de cuius Viri stupendis pror-
sus in Gallia et Anglia facinoribus vide
Memoires de la Regence T. I. II. III. et
Mercure historique ad an. 1716. etc. — *Ra-*
vailiac Franciscus, qui an. 1610. 14. Maii

Нед-

entae nuptiae, dimachomachia, *systema Lavianum*, Ravaillac, Clement, et his similia. Quid hoc, quid sexcenta alia ridenda, vel deploranda potius gesta, quae statisticum Gallorum mundum toties evertebant, ad *systema nostrum?* Panglos * certe suo semet citra indignationem obvolvere pallio potest, semperque suum

Henricum IV. Galliarum Regem Parisis in platea de la Feronnerie curru vētūm cūlō transfodit; vide Mezeray du Pleix. Morifot Hist. Henric. M. le Vassor. hist. de Louis XIII. L. I. l'Etoile memoir. T. II. — Clement Jacobus, Monachus Dominicanus, qui Henricum III. Galliarum Regem occidit; de quo vid. Mezeray hist. de France T. III. d'Aubigné hist. T. III. Fatalité de S. Claud. &c.

* Panglos nomen est malesani illius Philosophi, quem Voltairus in suo *Candido*, sive *de mundo optimo*, ludificat; quod extrema quaque mala expertus, semper tamen *mundum optimum esse* asseveret.

suum illud repetere: *Noster mundus nihilominus optimus est.*

Numeſianus.

An igitur existimas, nihil prorsus solidae objectionis huic opponi posse sententiae?

Callisthenes.

Nihil certe per Experientiam; nisi forte aliam aliquam experientiam adferri posse putas, quam quae nobis terricolis potest esse comperta? — Istaec profecto opinio adeo e natura, et citra coationem ex ipsa infinitae Sapientiae idea profluit, ut nulla prorsus ratione concipere valeam, quomodo vel in dubium vocari possit haec propositio: *Suprema Sapientia Optimum certe preferet minus bono.* Reperiuntur nihilominus in hac sententia difficultates quaedam, quas ipsemet mihi plene resolvere non sufficio. Idmodi difficultatum aliquam Leibnizius in sua *Theodicea* sibi ipsi proposuit; et, si

H 3 prae

prae manibus haberem egregium isthoc
opus, demonstratus essem tibi, quanti
momenti sit dubium ipsius, quamve sibi
met diffidendo illud tollere videatur
Leibnizius.

Numeſianus.

Ad minimum tibi esseſtiale hujus
dubii memoria ſuggeret; aut forte abſo-
lute tibi neceſſarium fuerit, iſpa ejusdem
verba attuliffe?

Calliſthenes.

En tibi illa. Recte memini, me
integrum illum locum enchiroidio meo in-
ſcriptum habere:

“ Posſet opponere quispiam: Im-
„ poſſibile foret, ut Optimum (Mundus
„ optimus) producatur; cum non ſit re-
„ perire creaturam aliquam perfectam,
„ ſemperque perfectior aliqua produci
„ queat. Repono: Quod de una parti-
„ culari ſubtantia afferi potest, quac
„ nimis

„ nimirum semper ab alia aliqua supera-
 „ ri potest, nequit universo etiam mun-
 „ do applicari, qui, cum in omnem
 „ aeternitatem durare ipsum oporteat,
 „ infinitum quidpiam est. Ad haec in-
 „ minima quavis materiae parte infinite
 „ multae reperiuntur Creaturae, cum
 „ continuum reapse in infinite parvum sit
 „ divisum. Infinitum autem, id est,
 „ summa infiniti cujusdam substantiarum
 „ numeri, proprie loquendo, perinde
 „ non est unum Totum, quam ipse nu-
 „ merus infinitus, de quo dici nequit,
 „ utrum directus aut indirectus sit. —
 „ Non est igitur hic loci sermo de crea-
 „ tura una, sed de Universo hujus mun-
 „ di simul sumto. Unde adversario in-
 „ cumberet probatio, unam Mundi U-
 „ niversitatem semper altera aliqua mea
 „ liorem esse posse; et sic in infinitum.
 „ Verum hac in parte sibimet ipsi im-
 „ poneret, neque Assertum suum un-
 „ quam demonstraturus esset. “

Quac tibi de hoc responso senten-
tia ?

H 4

Nu-

Numeſianus.

Quod jure optimo hanc probatiō-
nem imponas aduersario. Donec evinci-
queat, in infinitum usque mundum
unum perfectiōrem semper existere posse
altero, semper adhuc pro Leibnizianis
stat argumentum, atque ratio sufficiens
mundum hunc pro optimo reputandi,
quia ab Ente perfectissimo caeteris omni-
bus praeferebatur.

Callisthenes.

Universum hoc, inquit *Leibnizius*,
non est *Totum* aliquod, cum determina-
tum sit ad durandum perpetuo, parsque
Materiae minima multas complectatur
Creaturas. E duobus casibus unum eligi
oportet: Vel non potest Creaturarum co-
pia in sua perpetua duratione *absolute*,
ab ipsa etiam Mente infinita simul sumi,
ac pro *Uno Toto* considerari, cum haec
simul sumptio perpetuae durationis natu-
rae repugnet: Vel potest quidem infinita
illa series, saltem a Mente infinita, ad-
aequa-

aequate perspici; simul sumta tamen non efficit unum Totum limitatum; sed aliquid immensum, de quo probatio incumbit adversario, quod ab alio aliquo superari queat. Primus Casus nequit cum sistente hujus Philosophi subsistere. Infinitum ac aeternum, quantumcunque velis, debet tamen infinita haec creaturarum copia in sua perpetua futuritione* a Mente infinita perfecte praevideri, cumque aliis in comparationem duci posse; quia citra hanc comparationem Electio Optimi non esset locum habitura. Certe immensa haec futurito debet Menti infinitae continuo praesens esse, atque sic ab ipsa perfecte in una idea, qua *Unum Totum*, comprehendi posse.

Scio quidem, e quorundam Philosopherum sententia absolute impossibile esse, ut Progressus in infinitum ex integro circumscribi queat, vel ideo, quia ejusmodi seriei essentia in indesinenti progressione consistit. Unde, inquit

H 5

illi,

* Veniam rogo Grammaticos.

illi, *Infinitum Mathematicum* ejusmodi
quantitas est, cuius limites non sunt de-
terminati, quique semper magis magis-
que extendi possunt, quin unquam ex
integro tollantur, et quantitatem omnis
limitis expertem post se relinquant. Ea-
dem ratione potest Tempus in aeternum
persistere, quin ideo unquam dici possit
in aeternum jam perstitisse; sic, dum de
Materia dicitur, eam esse in infinitum divi-
sibilem, non sequitur etiam, copiam ejus
partium esse infinitam; sed potius aliud
huic e diametro oppositum; videlicet,
eam semper finitam persistere, atque per
ulteriore divisionem semper adhuc mul-
tiplicari posse. Atque ista fuerat quo-
rundum Philosophorum respectu *Infiniti*
Mathematici sententia. — — Verum esto;
sint Leibnizianorum aliqui sic opinati,
non fuerat haec tamen ipsius etiam *Leib-
nizii* opinio. Secundum hujus Philosophi
systema ubique locorum, in universa re-
rum Natura reperire est *Infinitum* isthoc.
Quaevis Materiae pars, ex ejusdem sen-
tentia, non modo est *infinite divisibilis*,
(quod nihil foret, quam progressio in in-
fini-

sinitum) sed reapse etiam *infinite divisæ*. Unumquodque ens divisum consistit ex infinita copia entium minorum, quae non minus divisa sunt. Quilibet status praefens rei cuiusdam creatæ continet, tam antrorum, integrum seriem effectuum sine fine, sive Futuritionem in sua perpetua duratione; quam retrorsum, seriem causarum sine principio; in quod naturaliter Idea entis contingentis sese résolvi patitur. Unaquæque idea hominis perducit ad infinitum, continetque imperfscrutabilem abyssum, quae nonnisi ab Intellectu infinito integre perspici potest.

Non mihi jam opus est, illud tibi proposuisse, quod Infinitum hoc, quod in Natura reperimus, ab Infinito Divino essentialiter sit distinctum. Nihil nisi imago est, atque *Copia* aliqua supremi illius Infiniti; verum ejusmodi *Copia*, quae nobis intime innata est, quam extus etiam omni ex parte iterum deprehendimus, quocunque demum oculos nostros convertamus. Si autem Universum hoc, non obstante etiam ipsius infinitudine,

dine, perpetuaque duratione, Intellexui
Divino qua *Totum* aliquod repraesentari
oportet, tum certe et etiam qua *Unum*
Totum considerato determinatus Perfectio-
nis gradus adscribendus erit. Et quidem
gradus limitatus, non infinitus. Feliciter
admodum contra *Spinosam* fuit demon-
stratum, infinitam finitarum perfectionum
simul sumtarum copiam nonnisi finitam
Totius illius perfectionem efficere. Per
accumulationem, sive simul sumptionem
plurium partium habetur *quantitas exten-
sa*, non *inextensa*, non *vis*. Unde etiam
infinities multae perfectiones limitatae,
simul sumtae, perfectionem efficiunt ra-
tione *extensi*, non autem ratione *virtutis*,
infinitam.

Si porro Perfectio cuiuslibet Uni-
versi, quamcunque illud demum copia,
ac duratione sua infinitum sit etiam, sem-
per tamen adhuc limitata manet; tum
profecto vix aut ne vix quidem concipi
potest, ut non sit aliud quoque aliquod
Universum possibile, cui, qua *Totum*
considerato, major aliquis perfectionis
gradus

gradus competenteret. Dominus a Leibniz demonstrari petit, id ipsum possibile esse; verum demonstratio hujus videtur in propositionibus illis posita esse; quod in Intellectu Divino Universum, infinitum per copiam creaturarum, atque aeternum per durationem, tamen *Unum Totum* efficiat: quod huic *Toti* limitatus aliquis Perfectionis gradus competere debeat; denique, quod limitatus quiscunque gradus semper ab alio aliquo superari valeat.

Semper quidem triumphat Leibnizianus, si ex hoc argumento consequentiam ducat: Universum hoc a Deo productum est; ergo non potest aliud Universum isthac perfectius esse possibile. Si mundorum possibilium, se invicem perfectione superantium, series infinita esset, tum Deus nullum eorum posset procreare. “Non potest Deus sine ratione sufficiente quidquam agere, inquit porro Leibnizius in Theodicea; hoc autem in casu deberet plane contra rationem sufficientem operari. Idem certe est, ac si supponeremus, Deum decreuisse,

„ glo-

„ globum aliquem producere, absque
 „ eo, ut ullam rationem pro aliqua de-
 „ terminata hujus globi magnitudine ha-
 „ buisset. Ejusmodi decretum foret abs-
 „ que effectu; deberet quippe id ipsum
 „ secum involvere, quod executionem
 „ decreti hujus necessario impediret. “
 Haec argumenta manifeste patent. Si
Melius quid possibile esset, tum Benigni-
 tas suprema nihil aliud, quam *Melius* il-
 lud posset eligere. Verum optarem lu-
 culentius perspicere, qua ratione Perfe-
 ctio Totius, quin infinita sit, major ta-
 men esse nequeat, quam reapse sit.

Alia difficultas, quam ego mihi
 plene resolvere non sufficio, haec est.
 Noveris tu, non mediocris nos habere
 roboris argumenta, *Creationem in tempore*
 credendi; vel saltem secundum rationem
 pro tam possibili eam habendi, quam
Creationem sine principio. Potestne autem
Creatio in tempore cum systemate mundi
 optime subsistere?

Pro indubitato jam habetur, Ideam eujusdam entis contingentis, tam anteriusum, ad infinitam seriem effectuum; quam retrosum, ad infinitam seriem causarum perducere. In voluntate Dei positum fuerat, ut hanc infinitam possibilium Causarum et effectuum seriem ibi reapse incipere et perdurare fineret, ubi ipsi optimum videretur. Verum quam potuit suprema Sapientia invenisse rationem, aliquod hujus catenae membrum alteri praeponendi, dum omnia perinde ad systema perfectissimi Universi pertinenter?

Ponamus, b, c, d, e, etc. representent seriem illam causarum et effectuum, quam Deus reapse existere voluit; tum vi illius ideae, quam de entium contingentia habemus, etiam possibilis aliquis Status a datur, ex quo, si revera extitisset, status b naturaliter sequi debuerat, et luculenter explicari potuisset. Possibilis iste status a poterat igitur reapse existere, et status b, c, d, e, etc. qui seriem mundi optimi representent.

sentant, secundum leges Naturae consecuti fuissent. Adeoque tam a, quam b ad seriem *Optimi* pertinebat, et, citra damnum mundi perfectissimi, revera existere poterat. Quam igitur rationem potuit habuisse suprema Sapientia, potius cum b, quam cum a seriem causarum et effectuum incipere permittendi? Ipse per spicies, crediderim, quaestionem hanc infinitum usque protendi posse?

Quoniam illud etiam acceptandum esset utique, Legem Optimis isthac quoque decrevisse; et, si jam Principium aliquod sumi oportuit, membrum illud pro Principio fuisse electum, quod ad progressum in altioream aliquam perfectionem proxima, brevissima, atque immediata prorsus via fuerat perdueturum. Verum hoc responsum non omni ex parte satisfacit; et precarer certe, ut clariori in luce positum esset, quanam ratione primus ille status, qui reapse extitit, praecedentem aliquem statum involvere potuerit, quin praecedens ille status simul ad electionem Optimis pertinuerit?

Nu-

Numesianus.

Jam prorsus non miror, quod nulla
te Satyra ab hoc Systemate abduci finas,
postquam video, ne graviores quidem
difficultates tantum in animum posse
tuum, ut huic opinioni renunties. At
forte Magnus ejusdem Inventor authori-
tate sua adeo mentem tuam fascinat?

Callisthenes.

Hoc equidem non existimarem cer-
te. Conscius quidem mihi sum, summa
me adversum immortalem hunc Philoso-
phum ferri oportere observantia, *Leibni-
zius*, et *Newtonus*! Nequeo magna haec
proferre Nomina, quin maximas, veluti
suo Platonis discipulus tempore fecerat,
Providentiae reponam grates, quod me
post ipsos natum voluerit. Profecto, si
eum in finem creatus sum, ut Opera Dei
considerem, tum certe nunc tanto exa-
ctius existentiae meae scopum pertingere
potero: modo quippe longe aliis opera
Dei contemplor oculis, quam magnos

I

ante

ante hosce Viros ea fuisse contemplatus. — Verum nunquam me sola Viri eo perducet reverentia, ut Cogitationes ac Opiniones ejusdem coeco, quod dicimus, impetu, et citra ullum examen acceptem. Dixeram tibi jam antea, Opinionem de *mundo optimo* immediate e proprietatibus divinis profluere; et ipse Bayle illam hac ex parte consideratam admittere necessum habebat. Cum igitur sua huic opinioni demonstrata stet Veritas; non est, cur objectiones et difficultates nos morentur, quin vietas eidem demus manus. Possunt illae quidem attentos nos reddere, atque uberioris etiam examinis subministrare nobis occasionem; verum demonstrata semel, firma nullo non tempore persistit Veritas, donec ipsa, quibus innititur, fulera concuti contigerit. Quanquam ego quidem Opinionem hanc vel propriae meae quietis gratia nollem animo erectam meo; unicum quippe est, ubi mens mea tuto re quiescat, refugium. Vel minima hujus Universi, quae me circumdant, objecta, sola recordatione illa, quod partes sint

mun-

mundi perfectissimi, majestatem quam-
piam obtinent, quae illa in animo meo
reddit omni veneratione dignissima.

DIALOGUS IV.

Callisthenes. Numeſianus.

Numeſianus.

Quis pictorum unquam, aut sculpto-
rum duo sibi invicem perfecte similia
perfecit opera? quin imo — —

Callisthenes.

Siste paulisper, Amicorum carissime!
aberras quippe. Nunquid ſyſtema indi-
ſcernibilium impugnare pergis?

Numeſianus.

Quid tum?

Calliſthenes.

Et tamen cum ejusmodi in arenam
descendis experientia, cuius usum hujus
opinonis defensores potissimum habere
possunt.

Numeſianus.

Nihil minus! Experientia haec do-
cet quidem nos, duorum sibi similium
operum perfectionem omnem humanam
transcendere dexteritatem; annon autem
vel ideo eorundem produc̄tio pro praero-
gativa artis divinae haberi poterit?

Calliſthenes.

Poſſum ego iſthoc interim transmit-
tere; quanquam multum adhuc opponen-
dum haberem. Verum quid inde adver-
ſum Leibnizianos conſequitur?

Nu-

Numeſianus.

Id brevi ex me intelliges; noli ſolum revocare illud, quod mihi modo confeſſeras. Quid videtur tibi, ſuntne duo entia indiſcernibilia etiam absolute impoſſibilia?

Calliſthenes.

Tunc certe non, ſi in diuersa tem-
poris ac ſpatii relatione exiſtere illa oport-
eat.

Numeſianus.

Bene! adeoque poterat Omnipoten-
tia divina reapeſe duo ejusmodi entia pro-
duxiſſe?

Calliſthenes.

Citra quaeftionem; ſi divina Sapien-
tia non deberet plus complacentiae habe-
re in entium varietate.

Numeſianus.

Semper tibi praefto est tuum reſtri-
ctivum *Si*; ne forte aliqua te ratione ipſe
perplexum reddas. Verum hac vice *Si*
tuum nihil tibi bonaे frugis contulerit.
Si entia perfecte ſibi ſimilia plus artis
produnt, quam *varia*; ſi illa, inquam,
velut Character divinae perſpicaciae con-
ſiderari poſſunt; tum certe Sapientia di-
vina neceſſario plus in iisdem habere de-
bebat complacentiae.

Calliſthenes.

Rechte agis, Amice! quod Philoſo-
phorum placita non velut Oracula exci-
pias, fed dubia et objectiones adverſum
ea exquiras, ubiubi demum reperiri
queunt. Nunquam certiores redi poſ-
ſumus, ſi nunquam cum ratione dubita-
vimus. Probe memini, objectionem hanc,
aut huic ſimilem in *Voltairi Miscellaneis*
Philofophicis me legiſſe: verum, quem-
admodum ingenii plus aequo vivacibus
plerumque uenit, inconstantia ſunt
magis,

magis, quam ut speculativum aliquod
Opus debita cum intentione pervolvant.
Volantibus quasi obtutibus nonnisi in
sublimitatulas aliquas, quae emicant, at-
que ingeniosae alicui incidentiae similes
sunt, inquirunt. His illi suas sciolitates
oppontunt, quae tanto splendicant magis;
atque tum philosophatos se fuisse plene
sibi persuasum habent. In specie Domi-
nus Voltairus certe vix plus, quam ad
summum unum obtutum in scripta Leib-
nizii defixerit. *Leibnizius* quippe semper
adhuc Germanus esse perstitit, utut
Theodiceam suam gallico idiomate exara-
verit. In hac videtur ille casu fortuito
in locum offendisse, ubi *Leibnizius* asse-
rit, divinae Sapientiae inconveniens fu-
sse, duo entia *indiscernibilia* in mundum
hunc collocare; videbaturque sibi vidisse,
ac legisse, plus artis atque dexteritatis
requiri ad varia, quam ad *sibi perfecte si-
milia* opera perficienda. Nihil ultra de
ipso hujus Philosophi systemate, aut ejus-
dem pro illo argumentis follicitus, satis
pro more suo se fecisse existimabat, si

inquireret, an magis arduum sit, *varia*,
quam sibi similia producere opera.

Verum audi jam, quo sensu *Leibni-*
zius id sumserit. Scis, invictis eum pa-
lam fecisse argumentis, divinam Sapien-
tiam nihil prorsus absque ratione suffi-
cienti eligere posse. Si igitur duo indi-
scernibilia entia in diversis locis, aut
temporibus reperiri daretur; tum certe
necessario concipi deberet, cur alteru-
rum illorum potius hic loci, aut potius
hoc, quam illo tempore existat. Cum
autem in ipsis entibus nullum discriminem
reperiri queat; spatium vero, ac tempus
se ipsis nullam differentiam dare possint,
certe nullum potuit divinam voluntatem
permovere argumentum; adeoque nulla
etiam poterat fieri electio. Videsne jam,
cur *Leibnizius* dicat, perfecte sibi similia
entia divinae Sapientiae prorsus incon-
venientia esse? Non, quasi *Varia* plus
requirerent dexteritatis aut potentiae;
sed, quia Sapientia divina conformiter
tempori ac loco cuncta voluit esse ordi-
nata, ideo non potest diversis in locis,
di-

diversisque temporibus aequaliter idem
constituere.

Numeſianus.

Jam me subpudet mei. Hac certe
vice opinione mea citius palmam meis
extorsisti manibus; quamve *Voltaire* facis
objectionem, eadem duplici me jure
ferit.

Calliſthenes.

In eximio hoc Poëta ratiocinii fir-
mitatem deficere, jam dudum pro com-
perto habetur. Et vero etiam praeter
nonnullos, quos *Magnos* vulgo dicimus,
pauci jam illo Philosophiae signo decipi-
se finunt, quod ille operibus suis praefi-
gere consuevit. Verum reperire est
ejusmodi homines, etiam profundioris
intellectus, qui tentant nonnunquam in-
geniosam aliquam in Philosophia statuere
Propositionem; videnturque sibi difficil-
limas quaestiones scholasticas felici adeo
aliquo ingenii lusu dirimere posse.

Numeſianus.

Videris tu mihi alludere ad Philosophum illum, qui nuperrime adversus Leibnizianum *indiscernibilium* systema integro tractatu — —

Callisthenes.

Noli multis inquirere, quem existimem. Dantur plures ejusmodi iniqui iudices in anarchia Philosophica, quam ut uterque nostrum eodem tempore in unum eundemque sermone nostro offendamus. Isthic loci mihi sermo est de Autore * libri, cui titulus *Pensées sur la Liberté* inscribitur. Vir iste unus aliquis idmodi Eruditorum est, quibus certe talenta non desunt, quin Nomen veri Philosophi mereantur. Verum Patientia caruisse videatur, qua incidentias suas penitus expendere, atque easdem ad prima usque humanae Cognitionis principia reducere ipsum oportuisset.

Nu-

* *D. de Praemonval, jam vita functus.*

Numeſianus.

Bene quidem; verum iſthanc patientiae penuriam alii quoque cum ipſo communem habent. Ego ipſe nunquam mihi met imperare poteram, ut abſtractas Ontologiae quaeftiones, quae reaſe nihil plus dicere videntur, quam quod jam dudum novimus, ordine ſuo, et cum attentione perlegerem. Revera quadam ſui ipſius abnegatione opus eſt, ut e praecipi ac inacceſſa via, qua ad Veritatem penetrari poſſe putamus, revertamur, per planum nos in eundo exercituri.

Calliſthenes.

Et tamen nemo tutum in altis figit gradum, qui non antea ſuos in humili gressus metiri didicit. — — In hoc ipſo, de quo nunc sermonem facimus, opusculo quaedam tibi poſſum exempla producere, quam facile acutissima etiam caetero-

teroquin ingenia, desetū sufficientis cognitionis ontologicae, in errores prolabiqueant. Citra dubium revocare tibi in memoriam poteris, quale argumentum de systemate *indiscernibilium* in quadam sua adnotatione promittat Autor. Existimat ille videlicet, omnia entia particulaaria eodem tempore, qua species, et genera considerari posse. Qua species, respectu illorum generum, in quibus immediate continentur, quaeque communiter pro speciebus infimis haberi solent. Qua Genera vero, respectu diversarum suarum modificationum, quibus subiecta sunt, et quae iterum suas subdivisas species habent; et sic in infinitum. Jam autem, inquit ille porro, cum prorsus absurdum sit, duas sibi perfecte similes species, aut genera in Natura admittere; tum certe perinde incongruum foret id ipsum de duobus particularibus entibus asserere; quia, secundum ipsius opinionem, series specierum, ac generum progressitur in infinitum.

Numeſianus.

Quid igitur? an tu aliquid, huic argumento quod opponas, habes?

Callisthenes.

Si verum est, quod Autor iste afferit, quod videlicet hae rationes jam longo ante, quam notum ipſi fuisset, Leibnizianam Philosophiam existere, tempore ipsum ad systema *indiscernibilium* perduixerint; si hoc, inquam, verum est; tum uno exemplo plura habemus, quam parum recte e certitudine consequentiarum ad Veritatem rationum duci possit argumentum. Primo quippe jam illud falsum est, quod ens aliquod particulare respectu suarum modificationum qua genus aliquod considerari queat. Ens quocunque nonnisi tunc primum ad entia particularia pertinet, dum omne id, quod illi competere potest, perfecte determinatum est. Donec id non sit compertum, utrum ei hoc vel illud conveniat, aut non conveniat; tamdiu ens illud nec ad speciem,

nec

nec ad genus pertinet; nec ullibi, quam *in abstracto* reperiri potest: idea enim cuiusdam speciei est quidpiam universale, quale in Natura nullibi, quam in contentis sub ea Individuis, reperitur. *Nemo* est, qui nesciat, in ente aliquo omnia, ipsis accidentibus et modis ejusdem non exceptis, perfecte determinata esse oportere; si illud realiter existere supponatur. Jam autem dici mihi abs te velim, quomodo Autor noster sibi persuadere potuerit, in ente aliquo particulari, tali inquam ente, quod omni ex parte perfecta determinatum est, adhuc species subdivisias reperiri posse? Aut voluit ille forsitan uspiam afferere, non posse unquam esse ens aliquod omni ex parte determinatum? Qui igitur fieri potest, ut id ipsum realiter existat?

Numeſianus.

Annon forsitan Philosopho huic nostro ejusmodi aliquam adsingis specierum ac generum definitionem, de qua ille ne quidem somniavit unquam? Tu assumis

Wol-

Wolsianam *speciei* definitionem; ille autem nihil forte aliud hoc nomine, quam aliquam entium sibi similium, simul sumtorum Copiam, intellectum volebat; quin necessum fuerit, perfectam horum particularium entium determinationem sustulisse. Possunt illa semper adhuc aliqua in re inter se differre, et tamen simul sumta certam aliquam speciem, aut certum quodpiam genus constituere.

Callisthenes.

Bene! Potest ille Verba sumere, prout ipsi videtur; res tamen ipsa semper eadem esse perseverat. Dico nimirum: secundum hanc ipsam definitionem omnia entia ad eandem speciem pertinere debent, quae videlicet eandem inter se similitudinem communem habent; peculiaris quippe eorundem differentia hic loci neutiquam in quaestionem sumitur. Videsne jam, cur absurdum sit, duas perfecte similes admittere species? Ve-
rum

rum qua ratione potest id ad duo particula-
ria entia applicari? Cur non possunt
ista perfecte easdem habere modificatio-
nes, et in diverso spatii, ac temporis
nexu existere? Ego certe nullum inter
utramque hanc propositionem nexus re-
peritur. Impossibile est, ut duae species
respective spatii ac temporis diversae sint;
quia spatium et tempus in determinandis
speciebus ac generibus prorsus non ve-
niunt in considerationem: cur autem non
potest id ipsum de entibus particularibus
asserri? At vero voluit forsitan Autor
noster nonnisi illud evincere, quod non
possint duo entia sibi invicem perfecte si-
milia eodem tempore, eodemque in spa-
tio reperiri? Si ita est; tum omnino re-
ctum habet. Verum tunc ipsius senten-
tia nihil aliud in se continet, quam quod
integris jam ante *Leibnizium* saeculis nul-
li non fuerat perspectum: longoque adhuc
ab ea sententia distat intervallo, quam
nunc sistema indiscernibilium nunci-
pamus.

Nu-

Numeſianus.

Doleo certe, quod tibi cedere me oporteat. Nam, cum *Leibnizius* nullam sui systematis demonstrationem dederit, summopere desiderandum foret, ut nostri Autoris argumenta tam certa, quam nova effent.

Callisthenes.

Annon sufficientia habemus, quae hujus systematis evidenti prorsus ratione nobis exhibent Veritatem? Verum quidem est, *Leibnizium* videri sola Inductio-ne contentum fuisse; an autem ipsius se-
tatores desides fuere in allegandis pro hac opinione argumentis? Nihil certe, mea quidem sententia, potest esse evi-dentius argumento illo, quod *Wolfius* de ea erudito orbi proposuit. Certe ex universali entium omnium *Harmonia* sys-te-ma hoc adeo naturaliter profluit, ut im-possible fuerit impugnare istud, quin negetur illud. Si enim omnia exactissi-me sibi invicem juncta sunt, impossibile

K fue*

fuerit, in diverso spatii ac temporis nenu duo perfecte sibi similia reperire entia, quin integrae ex utraque parte series sibi etiam perfecte forent similes. Qua autem id ipsum ratione fieret, nisi utrumque horum entium in duos sibi similes mundos relegare velimus?

Numeſianus.

Esto igitur! si nihil aliud impedit, admittamus duos sibi similes mundos ~~re-~~ pse existere. Qui existentiam duorum entium indiscernibilium admittere non dubitat, is enimvero non morabitur, cum *Democrito*, etiam mundos perfecte similes, possibiles existimare.

Callisthenes.

Putas? Crede, hanc *Democriti* opinionem Leibnizianorum argumentis tanto potius cedere oportere. Nihil ipsis facilius fuerit demonstrare, quam impossibilitatem plurium mundorum, sibi perfecte similium. Vel enim erunt hi mundi

di sibi invicem connexi, vel non. Si fuerint, tum nonnisi unum, et non plures mundos constituent; omnia quippe per totum ad unam eandemque catenam pertinebunt. Si non fuerint, tum aut different aliqua in re inter se, aut perfecte sibi invicem erunt similes. In primo casu impossibile fuerit quidpiam simile, perfecte simile, in utroque mundo reperire; cum in utroque unumquodque cum omnibus exactissime nexum oporteat esse. In postremo autem casu duo hi mundi nullatenus erunt a se invicem diversi; id est, ne quidem spatio ac tempore poterunt a se invicem discerni. Si autem nulla intrinseca differentia, neque etiam spatio, aut tempore discerni possunt; tum certe non efficiunt *plures*, sed reapse nonnisi *unum eundemque* mundum. *Pluralitas* autem, quam nobis hoc in casu repraesentamus, pura puta chimaera est. *

K 2

Nu-

* Saepius mihi jam in Juventute mea scholas
publi-

Numeſianus.

Chimaera? quid ita? annon hoc
idem significat, quam ſyſtema indiſcerni-
bilium jam in antecellum praefuſponere?
quod

publicas adeunti ridicula videbatur ſchola-
ſtica de *Pluralitate mundorum* diſputatio.
Adferebantur quippe argumen ta ad demon-
ſtrandum de Planeticolis ſententiam; infere-
baturque confequentia: ergo plures exiſtunt
mundi. Ubi autem definitio mundi daba-
tur, dicatum erat: Mundi nomine intelligi-
mus totam hanc rerum viſibilium Universita-
tem; id eſt, Solem quoque, Lunam, Pla-
netas, Aſtra, atque denique viſibilia omnia.
— — Erat Franciſcanus aliquis Monachus,
qui illo Scripturae textu: Ecce decem mun-
di facti ſunt; contra Jefuitam defendantem,
pluralitatem mundorum evincere volebat;
verum reposuit Defendens textum subfe-
quentem: ſed novem ubi ſunt? — Plura
eiusmodi exempla eruditio niſi — — — — —

quod tamen ipsum in quaestione est, atque primum demonstrari oporteret.

Callisthenes.

Nihil minus! Nostri utique, duo entia sibi similia, quae ne quidem spatio, aut tempore a se invicem dignosci queunt, integris jam ante Leibnizium saeculis tantum tandem valuisse, quantum duo entia, quae reapse duo non sunt. Ponamus in mente nostra unam eandemque ideam, quotiescumque volumus; tum repetitio-nes illae nonnisi ideo Pluralitatem effi-cient, quia una illarum aut post alteram, aut penes alteram assumitur. Quid hoc autem aliud significat, quam quia diver-so in spatio, aut diversis temporibus as-sumtae sunt? Tollamus hanc diversita-tem; tum omnes hae ideae in unam quasi confluent, atque unum solum, idemque ens constituent. Si Leibnizius intrinsecam duorum sibi perfecte similium entium pos-

sibilitatem admittit; id nonnisi ea ratione intellectum vult, quod videlicet Deus sibi unum idemque ens sub diverso temporis ac spatii nexus proponere, et reapse producere queat, si nempe virtute infinitae Sapientiae suae ita sibi visum fuerit.

Numeſianus.

Ergo non potest sibi Deus duo entia repraesentare, quae non aut intrinsecam, aut saltem extrinsecam diversitatem habent?

Callisthenes.

Tam parum certe, quam quod sibi repraesentare nequeat duo entia, quae reapse duo non sunt.

Numeſianus.

Si ita; vale *Hazard!* — — Aut forsitan non legisti adhuc, quantum sibi labo-

laboris sumserit idem Autor in recentiori aliquo suo opusculo, cui titulum *du Hazard sous l'empire etc.* praefixerat, ut Leibnizianos insimularet *Fortuiti* alicujus, aut *Fati*, secundum quod Deus ipsorum operari necessum haberet? Nunc equidem irritae prorsus sunt omnes ipsius figurae rhetoricae, quas ea de causa in medium protulerat. Duo quippe illa sibi perfecte similia entia, quae ipse in Intellectu divino ante Creationem supponit, quorum alterutrum Deus forte fortuna eligere debuisset, non possunt, ut cum Leibnizio loquar, aliud quid fuisse, quam unica solum idea, quam sibi Deus sub diverso spatii ac temporis nexus repraesentaverat. Ille igitur non nisi inter duos diversos nexus eligere poterat, ubi impossibile fuit, eum motivis caruisse, quae Voluntatem ipsius determinarent.

Callisthenes.

Ego quidem *Praemontvalianum* illud Opusculum non legebam adhuc, illud

K 4 nihil-

nihilominus probe novi, quod omnes
hujus Autoris adversus Philosophiam
Leibnizianam objectiones ejusdem fere
sint farinae. Nonnisi obiter consuenda
nobis fuerit Ontologia, ut argumento-
rum ejus debilitatem perfecte perspicia-
mus. *Achilles* * ille, in quo ipse in suo
opere: *Pensées sur la Liberté*, vim omnem
ponit, et qui Leibnizianam inter neces-
sarias et contingentes Veritates distin-
ctionem subruere deberet, mea opinio-
ne, nihil aliud est, quam ingeniosum
aliquid Sophisma, cuius inertiam facili
negotio quisque detexerit.

Nu-

* *Achilles* in scholis nostris passim nuncupa-
tur praecipuum illud Argumentum, in quo
vis omnis quasi concentrata ponitur: quod
isthic adnotasse placuit, quia subdubitabam,
utrum vocabulum hoc omnibus perinde E-
ruditis notum sit, atque jam in Hungaria
potissimum usurpetur; ubi videlicet ejus-
modi *Achilles* in publicis disputationibus
Pro Toto, quod dicimus, poni solet.

Numeianus.

Et tamen novi ego zelosofos quos-dam Leibnizianos, quos objectio illa at-tonitos reddidit. Necessaria Veritas, habetur ibidem, praesupponit certam aliquam conditionem, sub qua non nisi locum illa habere potest. Jam autem ostenditur ipsis, quod qualibet Proposi-tio mathematica conditionem ponat, quae eam veram reddit. Qua igitur ratione potest circumstantia ista sic dictas illas contingentes Veritates distinguere? co-nantur illi quidem inter conditionem, quae in Veritate mathematica praesuppo-nitur, et inter illam, quae ad veritatem contingentem pertinet, distinctionem ali-quam exquirere; sed incassum.

Callisthenes.

Hoc non nego; nam Leibniziano-
rum non semper illi sunt zelantissimi,

qui argumenta Leibnizii optime norunt
in usum suum convertere. Spiritus Par-
tialitatis saepenumero acutissimorum quo-
rumque Philosophorum fascinat oculos.

— — Non habebo hodie diutius tecum
sermones miscendi gratiam. Verumta-
men unum adhuc verbum, Amice! —
nec opus habeo pluribus, ad demon-
strandum tibi, quod omnis, quae in hac
sententia latere videtur, difficultas in
quadam antilogia sit collocata. Praemont-
valius perinde, ac omnes illi, qui ejus
argumenta adnihilare nequierant, per-
suasum sibi habebant, satis esse ad con-
ditionatam aliquam veritatem, si vocula
illa *Si* in illa proferenda uti possimus.
Unde non abs re mirari eos subiit, dum
videbant, se omnes veritates mathemati-
cas unico *Si* addito exprimere posse.
Leibnizium contra, et *Wolfium* hoc nul-
latenus fecisset attonitos. Probe illi no-
verant, quamlibet Propositionem *catego-
ricam* in *Mathesi* posse converti in *hypot-
heticam*, si nimirum *Praedicatum* essen-
tiale, quod *subjectum* aliquod in sua
sub-

subdivisa specie determinat, in conditionatum transformemus.* An autem per hoc Veritates redduntur *contingentes*? Videamus. Utar exemplo Domini de Praemontval. Omnes anguli cuiusdam trianguli, simul sumti tantum efficiunt, quantum duo anguli recti; sive, ut propositionem hanc conditionatam reddamus: *Si spatium aliquod tribus lateribus concludatur, tum etc.* Quid praesupponit hoc Theorema? forsitan *quod aliquod triangulum adsit?* — nihil minus. Illud solum, quod tria latera spatium aliquod concludere possint. Haec Veritas est necessaria; quia notio trianguli necessario nullam continet contradictionem. Jam autem designa triangulum aliquod in mensa, et dic: *Hoc triangulum habet tria latera, quae tantundem efficiunt etc.* Quid nunc supponit tua Propositio? citra dubium, *quod Figura, quam designasti, sit*

Trian-

* Wolfius Logic. §. 226. *Propositiones categoricae aequivalent hypotheticis, et ad eas reduci possunt.*

Triangulum. An autem necessarium fuerat, ut triangulum isthic designares? certe non: quia propositio huic opposita: *Haec Figura non est Triangulum*, nullam involvit contradictionem. Tua igitur propositio est *contingens*, et nonnisi certo in casu *vera*. Id ipsum facili negotio omnibus sine exceptione veritatibus applicare potes, et consequentiam inde formare, quod *Propositio*, quae puram putam possibilitatem praesupponit, inconditionata, atque necessaria sit; quia res possibilis est necessario possibilis; sive, quod nullam contradictionem involvit, necessario nullam involvit contradictionem. Ex adverso *Propositio*, quae non praesupponit necessariam actualitatem, nonnisi contingenter est *vera*. Atque hi sunt limites illi, quibus Geometra a Physico secernitur. Ille nonnisi possibilitatem certarum idealium praesupponit; iste autem solum ejusmodi rebus occupatur, quae realiter existunt.

Numeſianus.

Ad amissim cuncta haec affequor.
Verum unica me adhuc difficultas moratur, quam mihi abs te resolvi peto. An non ex hac explicatione tua consequitur, propositionem quamlibet, quae necessariam aliquam conditionem praesupponit, ipsam quoque necessariam esse oportere?

Callisthenes.

Citra Controversiam.

Numeſianus.

Jam autem Existentia hujus mundi praesupponit necessariam aliquam veritatem; videlicet Existentiam Dei: et tamen ipsis Leibniziani fatentur, mundum esse contingentem.

Cal-

Callisthenes.

Objectio tua numeris omnibus fo-
ret absoluta, si mundus hic nihil aliud,
quam *Existentiam Dei* presupponeret;
verum ad hoc perinde *Voluntas Dei* re-
quiritur, ac *Existentia*. Voluntas autem
Dei non est necessaria.
